



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 31. Cardinalis Borgia in Papam electus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1492.

confectus, ac podagræ doloribus cruciatu-
tus, pedum ministerio penitus destitutus
esset. Ergo Purpurati ad capellam, quæ
a Sixto Papa nomen trahit, conveniunt,
& conclavis custodiam Regum Oratori-
bus committunt, cum autem per vicos
& urbis compita fures, assassini, atque la-
trones undique grassarentur; hinc inte-
gras militum centurias advocare, ac tor-
mentis bellicis vias munire compelleban-
tur, ut eorum palatia petulantium dire-
ptioni eriperentur, qua etiam provida sol-
licitudine Cardinales furentium insultus
effugerant. Præterea Palatii Vaticani
plateæ densis intercludebantur cancellis,
quos ex adversa parte milites munie-
bant, cum interea equites summorum
Pontificum præsidarii continuo totum
Palatii circuitum lustrarent.

§. XXXI.

*Cardinalis Borgia in Papam
electus.*

Leonellus in oratione funebri, quam in
Innocentii VIII. laudem præsentato
Cardinalium confessu dixerat, Pur-
puratos hortabatur, ut eligerent Pontifi-
cem moribus purum, cujus omnis ætas
ad exemplum S. Leonis I, cuncta virtu-
tum stipendia emeruisset, cuique testi-
monium præberet integritas vitæ, eique
nonnisi

non nisi pro laboribus multis, pro moribus ^{Sæcul. XV.}
 castis, pro actionibus strenuis, celsioris ^{A. C. 1492.}
 dignitatis præmium deberetur: denique
 eos stimulabat, ut ad summum Sacerdo-
 tium eveherent Virum, qui ceteris do-
 ctior, sanctior, magisque ab ambitione
 alienus esset, qualem esse Vicarium Jesu
 Christi Ecclesiæ suæ regimini præposi-
 tum decet. Hæc monita si Cardinales
 in electione successoris observassent, cer-
 te justas reprehendentium querelas ef-
 fugissent; ast illi longissime abfuerant
 a suscipiendis optimis hisce consiliis; un-
 de suffragia sua tulerunt in Virum, in
 quem omnes ferme Historici ad evomen-
 da quæque convitia suos acuerunt ca-
 lamos. Nec diu contententium dissidia
 electionis successum morabantur; jam e-
 nim secunda die nimirum undecima Au-
 gusti omnium Cardinalium suffragia in
 Rodericum Borgiam, S. R. E. Vicecan-
 cellarium conspirabant. Is erat Patre
 Godofredo ex Lenzolla familia in Valen-
 tiæ Regno longe nobilissima ortus, illud
 tamen avitum Patris sui nomen, nec non
 gentilitia ejus insignia reliquit, atque a
 cognomento Matris suæ, quæ Callisti III.
 Soror erat, Borgias nominari voluit.
 Ceterum Borgia, cum divitiis abunda-
 ret, ac facie liberali & Majestate insignis
 esset, facile auro, ac pollicitationum am-
 plitudine animos ad sui ipsius electionem
 inclina-

Sæcul. XV. inclinabat, quamvis ceteroquin morum
A.C. 1492. pravitas illum non modo a summa Pon-
 tificatus dignitate, sed etiam ab infimis
 Ecclesiæ functionibus longe arceret; cum enim adhuc Cardinalis esset, Vano-
 ciæ Romanæ, quæ olim Dominici Ari-
 manani conjux erat, amplexibus insuevit,
 ex qua quatuor filios, unamque filiam
 suscepit, ex his natu maximus erat Lu-
 dovicus Borgia Gandiæ Dux; alter ve-
 ro nomine Cæsar, primo Cardinalis, po-
 stea Dux Valentinus, Vir, quo ma-
 gis crudelem, magisque ambitiosum
 nulla ætas tulit, eundem tamen Alexan-
 der tam cæco amore prosequabatur, ut
 divina humanaque jura sus deque verte-
 re haud dubitasset, dummodo illum ad
 folium Cæsareum evehere potuisset, eum-
 que vel ideo Cæsarem appellari voluit.
 Ceteri duo filii erant Joannes & Gode-
 fridus, filia vero Lucretia nomine. Joan-
 nes in Gandiæ Ducatu fratri suo suc-
 cessit, duxitque conjugem Mariam Arra-
 goniam Alphonso II. Neapolitani Regis
 Filiam notham, ex quo conjugio natus
 est Joannes, Pater illius Francisci Bor-
 giæ, qui Jesuitarum Præpositus Genera-
 lis extitit: Godefridus autem tori sociam
 sibi elegit Sanctiam itidem spuriam Al-
 phonso filiam, denique Lucretia, quæ an-
 te Patris sui Pontificatum Hispano cui-
 dam desponsata erat, facto divortio Joan-
 ni

*Onuphr. in
 vit. Alex. VI.*

ni Sfortiæ Pisauriensi Principi nupsit; Sæcul. XV.
A. C. 1492.
postea vero Visellis Duci notho Alphonfi
filio, eoque demortuo quartis nuptiis
Alphonso Estensi Ferrariæ Duci copula-
ta est. Hæc, si nonnullis Scriptoribus
credere fas est, juvenili ætate minus ca-
stam duxisse vitam, sui que corporis co-
piam propriis fratribus fecisse, insimula-
batur. Tales erant neo-electi Papæ so-
boles.

Rodericus Alexandri VI. nomen as-
sumpsit, moxque facta ejus electione ad
conciavis fenestram crux affigebatur: u-
bi electi nomen populo nunciabatur, in-
credibilis hominum frequentia quanto-
cius ad Ecclesiam S. Petri confluebat,
Virum conspiciendi aviditate accita.
Demum Sanseverinas Cardinalis Ale-
xandrum brachio suo sustentans ad Ba-
silicam S. Petri deduxit, eumque altari
imposuit, cunctis Cardinalibus obsequium
præstantibus, ceterisque Prælatibus ejus
pedes deosculantibus. Priusquam vero
ex altari descenderet, Ascanium Mariam
Cardinalem de Sfortia creavit S. R. E.
Vicecancellarium, ut promissi fidem in
conclavi datam exsolveret. Re autem
divina de more peracta, omnes Cardina-
les ad sua reversi sunt palatia, exce-
ptis eorum paucis, quos Papa ad pran-
dium vocavit. Vespere facto in plateis
festivi accendebantur ignes, præcipue ve-
re

Sæcul. XV.

A. C. 1492.

ro Ambrosius Mirabili Nobilis Mediolanensis in Capitolio publica, eaque vere magnifica lætitiæ signa edidit, eoquod Senatoriæ dignitatis, qua sub Innocentii Pontificatu fungebatur, confirmationem obtinuisset. Joannes quoque Lopez, qui sub eodem Pontifice conscribendis Brevis Apostolicis præerat, Perusinus Episcopus renunciatus est, ejusque officium ad preces Cardinalis Ascanii Bernardino de Luna concreditum est.

§. XXXII.

Romanorum jubilus ob Alexandri electionem.

*Bern. Corius
par. 7.*

Postera die Senatores urbis, Conservatores populi, & regionum Præfecti vesperascente coelo equis vecti unacum ingenti Nobilium adolescentum comitatu solemnem pompam instituerunt, præcedentibus famulis, qui ex alba cera faculas gestabant. Ubi ad Vaticanum Palatium accesserant, ludum equestrem exhibebant, inde vero Palatii aream ingressi denuo solemni ejusmodi ludicro spectantium oculos recreabant, postea ex equo desilientes, summi Pontificis pedes osculaturi accurrebant, quos Alexander hac honoris testificatione lætus, perbenigne excepit. Die vigesima septima Augusti Papa cum ingenti magnificentia

de